in iubilatione. Et dominus etc. Ascendit quidem ad celos, ut nobis ianuam celestem aperiret Ad Ebreos IX^o [12] Per proprium sanguinem introiit semel in sancta eterna redemcione inventa. Ascendit eciam, ut nobis viam ostenderet, ut nos secum duceret. Mich. II^o [13] Ascendit iter pandens nobis. Ascendit ut pro nobis interpellaret Patrem. Hebr. IX^o etc. Octavum articulum posuit Matheus dicens: Inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Hoc predixit Zophonias III^o [8] Expecta dicit Dominus in futurum, quia iudicium meum est, ut congregem gentes et collocem regna. Veniet Christus ad iudicium, ut iudicet iuste, qui hic iudicatus est iniuste. Ad cuius adventum, ut dicit Anastasius in suo Credo, habent omnes homines resurgere cum corporibus suis et redituri sunt rationem de factis propriis, que his fecerunt. Et non tantum de factis, sed eciam de verbis ociosis. Et quod tunc erit de turpibus et de omnibus cogitacionibus, quomocumque sunt oculte Eccl. XII [14] Cuncta que sunt sub celo adducet Dominus ad iudicium etc. Nonum articulum ponit Iacobus Alpei seu Minor dicens: Credo in Spiritum Sanctum. Hoc predixit Iohel II [28] dicens: Effundam Spiritum meum super omnem carnem et propheta-bunt filii vestri et filie. Et sicut in Patrem et Filium sicut in [f. 97v] Spiritum Sanctum credere oportet, cum Spiritus Sanctus Patri et Filio est consubstantialis et coeternus et utroque procedit eternaliter. Sic eciam procedit in nos Spiritus Sanctus cottidie spiritualiter, si in dileccione eius manemus et mandata eius servamus Ioh. XIII^o [16] Si diligitis me, mandata mea servate et ego rogabo, Patrem, ut alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in eternum, quem mundus non potest capere etc. Decimum articulum posuit Simon dicens: Sanctam ecclesiam catholicam Hoc eciam predixit Micheas: Invocabunt omnes Deum et servient ei. Et ecclesia dicitur congregacio fidelium in una fide et in uno baptismo. Et ideo Apostolus ait ad Thimotheum IIII^{to} [Ad Ephes. 4, 5] Unus Deus, una fides et unum baptisma, quoniam credere debemus quod sit ecclesia id est congregacio fidelium, in qua debemus manere in caritate Dei et amore mutuo. Ioh. XVII^o [1] Volo, ut unum sitis sicut ego et Pater unum sumus. Ex quo patet, quod nullus debet abici vel excommunicari ab ecclesia, quia extra eam non est salus, sicut extra archam Noe nullus salus fieri potuit etc. Undecimum articulum posuit Thadeus dicens: Sanctorum communionem, remissionem peccatorum. Et hoc eciam predixit propheta dicens [Ps. 102,3] Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis. Et credere debemus, quod in ecclesia fit comunicacio iuxta illud Ps. [118, 63] Particeps ego sum omnium timencium te et custodiencium etc. Existens in peccato mortali fit particeps omnium bonorum operum, que fuerunt seu aguntur in ecclesia. Et remissio omnium peccatorum, quam credere debemus, fit in ecclesia per baptismum, per penitenciam et per alia sacramenta. [f. 98r] Et secundum Ambrosium peccatum aut donatur, aut dele-

tur, aut tegitur. Donatur per gratiam, deletur per sanguinem et tegitur per caritatem. De primo Luc. II^o [7,42] Non habentibus illis unde redderent donavit utrisque, id est permisit. De secundo Apoc. I^o [5] Lavavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. De tercio Prov. X [12] Universa delicta operit caritas. Duodecimum articulum posuit Mathias dicens: Carnis resurrectionem et vitam eternam. Amen. Hoc etiam predixit Iob dicens: Credo quod redemptor meus vivit et in novissima die de terra <re>surcturus sum. Credere enim debemus, quod omnes resurgere debent in corporibus suis, sed differenter mali ad mortem eternam et boni ad vitam eternam, sicut de hoc dicit Anastasius in suo Credo, quod qui bona egerunt ibunt in vitam eternam, sed qui mala ibunt in ignem eternum. Et hoc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. Et ideo qui eum viderunt et crederunt, quam beatitudinem consequentur cum sancto Thoma apostolo, qui dicitur Didimus, cuius vitam sic breviter auditis.

II

SERMO DE DIVISIONE APOSTOLORUM

Convocatis Ihesus XII discipulis suis etc. Luce IX^o [1]. Hoc ewangelium facit mencionem de divisione XII apostolorum, qui a Christo erant missi ad predicandum verbum Dei toti universo et precipue gentibus, qui Deum non noverant aut propter culturam ydolorum; Marc. ultimo [16, 15]: Euntes in [p. 462] mundum universum predicate ewangelium omni creature id est homini, qui participat cum omni creatura in aquo. Sed sicut videmus, si aliquis cupit bonum semen seminare, ut sibi fructum bonum afferat, oportet quod omnia impedimenta excludat et exclusis tenetur disponere terram per araturam et tunc primo debet seminare, sed quia verbum Dei est semen, ad quod seminandum Filius Dei venit Mat. XIII^o et inde misit XII apostolos ad seminandum verbum Dei, nam nemo potest producere fructum salutis eterne nisi de terra cordis humani eiciantur spine avaricie, que suffocant semen verbi Dei, allappe luxurie que valde faciunt adherere carnalibus et instabilitatem procurant, urtice perfidie, que nimis confortant hominem in peccatis, petre duricie que

faciunt arescere semen, cum non habuit humorem, et semotis istis impeditis tunc quilibet cor suum debet disponere ad credendum. Sed quomodo credant, cum non audiunt, cum fides sit ex auditu, et quomodo adiscant sine predicatore. Ideo Ihesus Christus volens, ut verbum ewangelii a se predicatum et seminatum in cordibus hominum facere(t) fructum, elegit XII predicatores, qui errores et vicia extirparent virtutes plantarent, de quibus dicit nobis hoc ewangelium, quod de tribus nos docet: primo de convocacione apostolorum, secundo de potestate eis tradita, tercio de divisione eorum. Primum notat altam vocacionem eorum qui sunt vocati ad supernos status non tantum mundi sed et celi, quia ad seraphicum. Secundum notat eius potestatem, quam eis contulit super omnia demonia. Tercium notat eorum officium, ad quod sunt vocati, quia ad predicandum verbum Dei. Dixi primo de convocacione [p. 463] apostolorum, qua convocavit eos simul ad se, ut eos mitteret ad predicandum, nam triplex eorum fuit vocacio: prima ad agnicionem simplicem Christi, qua inceperunt credere in Christum propter quod secuti sunt eum et manserunt cum eo [Io. 10]; secunda fuit in familiaritatem, qua effecti sunt ei familiares; Luc. V: Omnibus relictis secuti sunt eum; tercia in appostolatum, quo fecit eos apostolos; Mat. III^o [22]: Illi autem relictis rethibus et patre secuti sunt eum. Hic autem vocavit eos simul ad explendam legacionem eius. Hic nos sumus vocati ter: Primo ad agnicionem fidei Christi ut discrete cognoscemus articulos fidei et hoc fit in baptismo; secundo ad familiaritatem eius et hoc quando nos admittunt ad Corpus Sanctum; tercio ad officium Christianitatis, quod debemus servare et vivere secundum illud et quicquid agimus in mundo nunquam debemus recedere a christianitate, sicut, ut apostoli recesserunt ab apostolatu. Videte ad appostolos, quales gradus sunt assecuti in istis vocacionibus. In prima vocacione placuit eis sermo Eius; in 2^a vocacione placuit eis Christi sancta conversacio, qua ducebat eos ad virtutes; in 3^a placuerunt eis eius miracula, que faciebat, propter que omnino ei adheserunt. Si autem placuerint nobis ista tria, que apostolis placuerunt, nunquam tam turpiter viveremus sicut vivimus, ut recederemus a Christo, sed quia nec sermo Christi, nec conversacio sancta, nec miracula placent nobis, ideo turpiter vivimus et adhuc peius quam pagani. Nam melius et peccatum cavere et non committere, quam amissum emendare. Facilius enim hosti possumus resistere, a quo nondum victi sumus, quam ei, a quo iam superati ac devicti cognoscamur.

S(ed) dicit, quare convocavit tantum XII, quos [p. 464] nominavit apostolos. Dicitur, quod propter XII portas, per quas intratur ad fidem et de fide in regnum Dei et hoc secundum quatuor partes mundi. Nam hii apostoli primo erant tres porte ab oriente, quia populo apperiebant intelligenciam humane creacionis, humane redempcionis et humane regenera-

cionis per baptismum in tantum sciverunt de creacione, redempcione et regeneracione. Secundo erant tres porte ab austro, que apperiebant populo ardentem caritatem Christi, Eius incomprehensibilem claritatem et Eius ineffabilem iocunditatem, et de istis veram noticiam habuerunt in austro. Tercio occasu erant tres porte, quia reserabant miserabilem fragilitatem et necessitatem peccandi horribilem deformitatem peccati et magnam frigiditatem ad bonum. Quarto ab aquilone erant tres porte, quia ipsi publicaverunt divini iudicii equitatem et peccatorum nostrorum condignam ulcionem et pene jehennalis eternitatem. Et per istas XII portas intelligimus XII apostolos. Populus a quatuor partibus mundi intrat in civitatem unitatis, scilicet in unitatem sancte fidei et baptismi. Dixi secundo de potestate eis tradita. Et hoc notatur cum dicitur: Et dedit eis virtutem et potestatem super omnia demonia. Nam virtus absque potestate malum est, quia inducit ad presumpcionem; potestas enim absque virtute debilis est et remissa. Ideo ista duo eis adiungit ut haberent virtutem, quantum ad sanandas infirmitates corporis, quia virtus tenet se ad corpus, sed potestas ad animam et ad demonia eicienda, ut sic totum hominem sanarent, quia totus homo periret, ideo dedit eis potestatem ad expulsionem demonum, quos enim [p. 465] demones ligabant, illi salvebant, quos demones excecabant, illi illuminabant, quos faciebant obmutescere, illi solvebant. Et magnum est quod dedit eis, scilicet potestatem super nationes demonum, qui naturaliter sunt potenciores hominibus et multum magis scientes quam homines. Et hec potestas apostolorum erat valde gloriosa, quia reformabant, que demones destruebant. Demones inficiebant homines diversis infirmitatibus — ipsi sanabant, demones obsidebant homines — ipsi expellebant; Luc. X^a [17]: Domine nobis eciam demonia subiciuntur in nomine tuo. Secundo habebant potestatem super omnes dracones serpentes et feras et aves que inimicantur homini propter peccatum primi hominis Luc. X^o [19] Ecce dedi vobis potestatem calcandi serpentes et scorpiones et super omnem virtutem inimici et nichil vobis nocebunt. Tercio dedit eis potestatem super omnem creaturam corporalem. Ideo mutabant lapides in gemmas, in aurum et poterant ignem descendere facere de celo (Math. XI^o). Quarto Christus in eorum factis assistebat sicut eis promittebat; Math. ultimo [28, 20]: Ego vobiscum sum usque in consummacionem seculi. Et angeli cum eis loquebantur, eos conducebant et eos custodiebant. Quinto dedit eis potestatem super omnes infirmos et infirmitates eorum ut eos sanarent aliqui per impositionem manuum; Marc. ultimo [16,18]: Super egros manus imponent et bene habebunt. Alii modo deprecativo ut Iohannes suscitavit Drusianam, aliquo modo deprecativo ut Petrus suscitavit Thabitam viduam. Nam, ut dicit Isidorus libro capitulo XV^o De sanctorum miraculis, Christus sermonem apostolorum duplici testimonio probabat: primo testimonio, vite sancte exem-

plo, quam didicerant a Christo que consistebant in sex. Primo in virtute profunde humilitatis [p. 466]; secundo voluntarie paupertatis ratione cuius omnia dereliquerunt; 3^o mire castitatis tam in anima quam in corpore; quarto ferventis caritatis, propter quam nemo potuit eos separare a Christo neque pena neque morte; quinto continue asperitatis, quam servabant usque ad mortem. Attendentes illud Math. VII^o [13] Quam lata est via, que ducit ad perdicionem et multi vadunt per eam sed via que ducit ad vitam est angusta et arcta et pauci eam invenerunt; sexto alte firmitatis in permanencia fidei et in paciencia adversitatis. Et istis virtutibus plures converterunt ad fidem quam signis. Et hoc eciam dicit Gregorius: Cuius vita despicitur, restat ut sermo eius condempnatur. Secundo testimonio miraculorum et signorum que operabantur pro confirmatione et nutricione fidei que tempore Christi et apostolorum fuit tanquam infans nutritur lacte et mollibus cibis ut posset consolidari, sic fides nutriebatur acsi lacte et cibo molli, ut posset consolidari in cordibus hominum. Et sic valde plantative crescebat et consolidabatur acsi pueri. Sed cum est confirmata passione Christi et apostolorum et aliorum sanctorum, que acsi infiniti occisi sunt pro confirmatione fidei et huic facto valde mirabantur reges, principes et alli pagani, qui videntes unum christianum occidi X alios convertebantur, alius quandoque milia, alius decem milia et hoc factum est, ut confirmaretur fides Christi in christianis. Et ex quo iam est bene confirmata, tunc iam est ablactata, sicut puer qui iam solidatus est in membris et est fortis in eis, amplius non datur ei lac neque cibus mollis sed fortis; et tunc dicitur ablactatus. Sic et caules tam diu rigantur, quousque non adolent et cum adoleverint amplius non rigantur. Iam [p. 467] ergo fides et ecclesia christianorum non indiget signis et miraculis, a quibus cum sit ablactata sufficienter, sed indiget virtutibus claris, ut castitate, devocione, iusticia, temperancia, vita sancta et conversacione munda. Si autem aliqui desiderant miracula fieri in ecclesia sancta non [*in ms. omne*] autem in corde suo. Si aliqui de celis descendent aut ex mortuis surgent et dicent nobis de gaudiis regni celorum aut de penis inferni quales sunt et quam dure, ut exemplum, fides in nobis firmaretur bene aut audientes talia bene operarentur. Respondetur: Si aliqui tales sunt inter nos, nichil faciunt aliud nisi quod desedant [!] verum testimonium, quod non habent fidem perfectam neque integram et talibus, si advenit aliqua adversitas aut temptacio statim cadunt a fide in peccata diversa. Dicit enim Simon de Cassia: Forcior est illorum, qui habent eam absque signis quam illorum qui habent eam cum signis, quia illi stant in ea firmiter nec se sinunt seducere neque peccatis infringere. Isti autem quam cito temptacio advenit aut adversitas, statim cadunt a fide. Et inde est quod aliquando una civitas, aliquando unum regnum cadit a fide. Si autem aliquis affectat corde aut

dicit ore facere signa in ecclesia, talis querit vanam gloriam, ut laudaretur ab hominibus. Dicit enim apostolus I^a Cor. XIII^o [22]: Lingue in signum sunt (non) fidelibus sed infidelibus. Ecce iam signa et miracula non sunt necessaria christifidelibus, qui iam diu crediderunt, sed infidelibus et paganis, Sarracenis, Ruthenis et Turcis sunt signa necessaria, ut convertantur ad fidem et conversi ultra non querant signa nam Paulus apostolus volens convertere aliquos infideles ad fidem coram eis sanavit miraculose patrem infidelem Puplii Romani ab infirmitate febrium [p. 468]. Secundum Thimoteum infirmitatem non oracione neque signo aliquo sanavit sed medicina. Claudant ergo heretici ora eorum, ut dicit Alber-tus, qui dicunt quod papa et alii episcopi non haberent tantam potesta-tem quantam habuerant apostoli aut alii sancti viri, quia non operantur talia signa qualia illi. Dicitur eis, quia ibi ecclesia et fides novella indiguit nutrimento signorum, sed iam firmata sanguine Christi et aposto-lorum non indiguit talibus. Dixi tercio de missione XII apostolorum. Et hoc notatur cum dicitur: Et misit illos predicare regnum Dei et sanare infirmos, nam bina vice misit eos Christus. Prima missio eorum fuit ad Iude-os; Math. X^o [5]: In viam gentium ne abieritis et in civitates Samaritanorum non intrabitis. Et quia prope eos mittebat et ad domesticos, ideo pro-hibuit eis portare in via virgam, id est baculum, saccum, panem et pecu-niam et duas tunicas. Et sic primum predicabant verbum Dei Iudeis. Secunda missio eorum fuit ad gentes et hoc quando fuerunt expulsi de Judaismo, de qua missione Mat. X^o [16]: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbe. Et quia ad longam viam erant missi ideo admittit eis predicta portare, ut exemplum haberent aliquam consolacionem et hec mirabilis missio, quia solum XII mittit in totum mundum contra errores, contra scandala, contra ydola et peccata, et potuerunt dicere Christo: quid nos mittis XII ad homines tocius mundi et ipsi forte nos deglutina(bu)nt vivos. Et Christus potuisset eis respondere: Ego vobiscum sum usque ad consumacionem seculi, Mat. ultimo [28,20]. Quomodo enim prophete fuerunt dispersi inter gentes, sic eciam voluit discipulos esse dispersos qui pel[p. 469]lebantur de una civitate in aliam, de uno regno ad aliud et in quamcumque domum intrabant, plus dabant quam accipiebant, quia per eos Deus illi domui infundebat gratiam. Ideo precepit eis: in quam-cumque domum intraveritis, ibi manete [Mat. 10,11]. Quid domus nisi beneficium ecclesiasticum sicut dicit Rabanus super Ecclesiasticum, in quo debent manere edentes et comedentes, que apud ipsos sunt. Luc. X^o [7]. Et dicit: et inde non exeatis ad querendum delicias aut plura beneficia et tales solus Christus laudabat, dicens Mat. XXV^o [21]: Euge, serve bone et fidelis, quia in pauco fuisti fidelis, supra multa te consti-tuam. Dicit Gregorius super Ezechielem: Fluvius, qui in multos rivos

dividitur, cicius ab alveo desiccatur, sic talis gracia Dei privatur cicius, qui est divisus. Et sicut appostoli excusserunt pulverem de pedibus suis contra illos, qui fidem non receperunt et verbum eorum, sic hodie fidem non suscipientes aut fidem susceptam violantes variis peccatis aut erroribus excucientur in fine de medio fidelium ad medium demonum ut dicitur Mat. X^o [14—15] Quicumque non receperit vos neque sermones vestros audierit exeuntes de domo aut de civitate excutite pulverem de pedibus vestris. Amen, dico vobis: Tollerabilius erit terre Sodomorum et Gomoreorum in die iudicii quam illi civitati. Hec maledictio Dei gravius super omnes infideles et Christianos non audientes verbum Dei, qui iam diu sumus christiani et utique ista maledictio vadit contra nos qui imus de peccato in peccatum, de uno in aliud et continue efficimur peiores; hodie mali sumus et cras peiores et post cras pessimi; hodie ebrius et cras magis ebrius et post cras aduc magis; hodie luxuriosus, cras aduc magis luxuriosus et sic absque statu. Sed e contra est de bonis, quibus dicitur [p. 470] Apok. XIII^o [18, 4—5]. Exite de illa civitate, populus meus ut ne participes sitis delictorum eius, quoniam peccata eius pervenerunt usque ad celum. Hodie enim bonus cras vult esse melior et ultra cras optimus; hodie misericors cras misericordior. Hodie servit Deo et cras cogitat, quomodo melius serviret ei et non solum cras sed usque ad mortem; hodie castus et continue cogitat quomodo potest esse castior. Unde ergo ista divisio inter christianos ac si non eosdem sermones audirent et ac si non eandem escam manducarent, scilicet Corpus Christi. Nos vere sumus stulti, qui credimus eundem Salvatorem et non eundem iudicem expectamus. Videte, ad quod nos comparat, que ad illam panem quam Sodomam et Gomorram, que vive descenderunt ad infernum.

Videte quomodo Christus misit XII apostolos in mundum, ut facerent pacem inter homines et Deum, inter regnum et regnum, inter vicinos et vicinos. Quam eciam fecerant inter Prutenos et Polonos, qui multis annis stetit inter eos sicut inter regem Assiriorum Sennacherib et regem Ezechiam Israel IIII Reg. 10 [18, 13] et XIX^o. Scilicet Sennacherib noluit tenere pacem cum rege Esechia, qui fecit omne bonum coram oculis Dei, qui confregit statuas ydolorum et confregit serpentem eneum, quem fecerat Moyses, propter ydolatriam, quam faciebant ei Iudei. Ita quod Sennacherib [*in ms.: sibi*] non fuit similis cunctis regibus, sic magister Prussie noluit servare pacem cum Wladislao rege Polonie, qui de terra Lythphanie ydola et lucos et silvas excidit, quas colebant Lythphani, quos ad fidem Christi deduxit. Et sicut rex Sennacherib iam decem tribus captivaret [p. 471]. Sic magister Prussie multas civitates ceperat, multa spolia fecit et multas dominas et virgines captivavit ac dehonestavit, ubi non paucus fletus fuit et alias gladio et igne perimebat, ut in Cronica Polonorum docetur. Et sicut rex Sennacherib subiciens ei multos reges et regna circum-

iacencia transiebat adversus regem Ezechiam, sic magister Prussiae collectis multis linguis Theutunicorum ibat contra regem Poloniae volens deperdere eum cum sua gente. Et quem ad modum rex Sennacherib misit Rapacem cum valida manu ad regem Ezechiam dicens ei: Hec dixit rex magnus Assyriorum: Que est fiducia ista, qua niteris rebellare regi magno Assyriorum. An speras in baculo arundineo atque confracto Egipto, super quem si incubuerit homo, cominutus ingredietur manus eius et perforabit eam? Et audiens hoc rex Ezechias et receptis litteris scidit vestimenta sua et sacco indutus ingressus domum Dei expendit eas coram Domino et oravit dicens: Domine Deus Israel, qui sedes super Cherubin tu es solus Deus omnium regum. Tu fecisti celum et terram. Inclina aurem tuam et audi et apperi oculos tuos et vide, quomodo eciam Sennacherib misit, ut blasphemaret nomen Dei viventis et misit ad Isayam prophetam, quid deberet facere at ille ait: Ne timueris, quia Dominus pugnabit pro te; sic magister magnus Prussie cum forti manu misit nuncios ad regem Poloniae dicens hec: Dicit magister magnus Prussie. Audio quod cares gladiis, ideo mitto tibi duos gladios unum tibi, et alium fratri tuo Allexandro duci magno Lýtphanie. Rex autem audito isto sermone et acceptis humiliter gladiis intravit oraculum et incepit orare, flere coram altari et orando [s. 472] dixit: Domine Ihesu Christe, nosce quod nullam spem pono in prelio isto et ne in armis, nisi in Te solo qui sicut hodie misisti XII apostolos in universum mundum, ut facerent pacem, in signum cuius dicebat eis Christus: In quacumque domum intraveritis dicetis: Pax huic domui Math. X^o [12], sic hodie mitte auxilium tuum, ut habeam regno pacem. Vide, Domine Ihesu Christe, quomodo instant in confusionem sanguinis Christianorum tuorum. Et sicut Deus exaudivit Ezechiam regem vel cum enim Sennacherib venit in Ierusalem ad capiendam eam cum magna potencia, tunc eadem nocte Deus misit angelum suum, qui interficit sibi de populo electo et armato CLXXXV^a milia et alii stabant immobiles sicut arbores, sic exaudivit regem Polonie, qui interfecit de populo electo Prutenorum CXXX milia et a(c)itos et alios cepit, qui pre nimio timore fixi stabant. Et sicut rex Sennacherib viso populo interfecto metdecimus evasit in civitatem Ninivem, ubi cum oravit in templo suos deos, duo filii venientes interfecerunt eum, sic magister Prussie viso populo interfecto evasit in silvam metdecimus ubi spuerveniens unus non rex nec nobilis nec dux aliquis sed unus servus interfecit eum securi. Et sicut rex Ezechias cum suo populo exiens exusserunt corpora illorum interfectorum, que erant redacta in cineres intactis armis et receptis armis et spolia multa reversi sunt in Iherusalem cum ingenti gaudio, sic rex Wladislaus cum populo suo receptis spoliis et armis et multis captivis et banderiis venit in civitatem Cracouiam cum magno gaudio. In cuius signum vir magne victoriae gracias

Deo agendo pependit banderia in ecclesia maiori in perpetuam rei memoriam. Propter hoc regnum illam reverenciam apostolis Christi tenetur exhibere pro beneficiis et impensis. Et si gra||

III

ANNOTATIONES HISTORICAE MARTINI BIEM

[f. 181v] S. Stanislaus Cracoviensis episcopus hoc anno VII kal. Augusti [26 VII] natus est, scilicet anno Christi 1030.

Iste Benedictus nonus dispensavit cum Kazimiro tercio rege Polonie in voto religionis et castitatis [anno 1032]. Cum enim fuisset monachus de regula sancti Benedicti et dyaconus, dispensavit cum eo et dedit sibi licenciam matrimonium contrahendi et ad regnum Polonie coronandi. Qui quidem rex strenuissimus fuit et restaurator a virtute nominatus.

[f. 184v] Sub hoc pontifice Gregorio septimo sanctus Stanislaus episcopus Cracoviensis per Boleslaum regem Polonie interfectus martirio coronatus est anno Domini 1079.

[f. 226v] Anno Domini 1386 illustris [!] princeps Iahel magnus dux Lythwanie in regem Polonie est coronatus Cracovie in ecclesia cathedrali die dominica in crastino sancti Valentini [15 II], qui regnum cum fide suscepit et in baptisate Wladislaus est nominatus. Hic serenissimus princeps multa bona fecit. Quatuor uxores habuit: primam, serenissimam principem Hedvigim, ad cuius vota et instanciam Studium generale Cracovie dotando fundavit anno Domini 1400; aliam uxorem habuit Annam Celszka de Hvngaria; terciam nobilem Granowszka dictam; quartam inclitam principem Zophiam nominatam, de Moszkouia ducissam. Et ex hac generavit duos filios illustres principes, scilicet Wladislaum primogenitum et Andream iuniorem, qui postea Kazimirus est vocatus [alio tempore adscriptum:] Primogenitus post mortem patris regnavit Polonis. Post cuius interitum regnavit secundo genitus Casimirus annis 44. Qui mortus est anno Domini 1492 relictis post se filiis et filiabus multis. Nam post eum Ioannes Albertus senior regnavit Polonis annis 9. Quo mortuo regnavit Allexander annis quinque. Quo de medio sublato regnare cepit Sigismundus anno Domini 1507 et reliquit filium, qui natus est ei ex Bona regina ducissa Barri Napulie, Sigismundus nomine prima die Augusti anno Domini 1520.

[f. 228v] Hoc anno Christi, scilicet 1400, serenissimus Wladislaus rex Polonie fundavit et dotavit Studium generale Cracovie. Et eo anno per reverendissimum in Christo patrem dominum dictum Vysch Petrum episco-

pum Cracoviensem utriusque iuris doctorem et cancellarium Studii eiusdem prima leccio in iure canonico ipso die sancte Marie Magdalene [20 VII] est facta. Et idem reverendissimus episcopus anno sequenti, scilicet 1401, in Quatuor temporibus post Exaltacionem sancte Crucis celebravit primum examen pro gradu baccalariatus in artibus.

[f. 232v] Hoc anno Christi, scilicet 1410 feria tertia in die Divisionis apostolorum [15 VII] serenissimus princeps Wladislaus rex Polonie cum illustri principe fratre suo Vitholdo magno duce Lýtwanie in terra Pruthenorum in campo, qui dicitur Grinwalth, quod situm est prope Dambrownno conflictum magnum fecit cum Pruthenis. In quorum auxilium ex diversa pene Germania Almani convenerant volentes delere nomen et memoriam Polonorum. Unde Dei optimi maximi nutu actum est eorum id exigente superbia; totaliter prostrati sunt in centum et quadraginta milibus virorum armatorum, item septingentis quindecim, ubi magister generalis Cruciferorum cum marsalco occisi sunt. Et alii multi principes et domini interfecti; alii innumeri submersi; alii capti ita quod de captivis fuerunt prope 40 milia. Hec tanta Dei nutu victoria multis est memoranda seculis. De qua laus sit Deo omnipotenti per infinita secula. Amen.

[f. 240r] Isto tempore anno videlicet Domini 1434 inclitus serenissimusque princeps Wladislaus rex Polonie Lythwanus genere, qui prius Iahel nominatus erat, circa festum Penthecostes in Grodek opido Russie post multa preclara gesta post laudabiles plurimos victoriarum triumphos, cum regnasset 48 annis in Polonia feliciter, obiit, relictis duobus filiis ex inclita principe Zophia Moszkoviensi successores, videlicet Wladislaum postea regem Polonie et Hungarie et Kazimirum qui et ipse tandem regnavit in Polonia [*adscriptum:*] annis 44.

[f. 241v] Hoc tempore, anno videlicet Christi 1440 serenissimus Wladislaus Polonie rex iuvenis cum esset in artibus bellicis clarus et victoriis contra infideles Christi felicissimus ad regnum Hvngarie est accersitus, ubi gloriosus in victoriis contra Thurcos extitit. Qui et tandem post quatuor annos in bello seu prelio contra Thurcos pro Christi nomine occubuit.

[f. 243r] Nescitur tamen quid in rei veritate cum rege factum sit et nisi Hvngari cum Valachis ab eo fugissent victor in certamine extitisset. Hoc autem factum fuit in vigilia sancti Martini [10 XI; *adscriptum:*] Anno Domini 1444.

[f. 244v] Hoc tempore anno scilicet Domini 1448 Kazimirus Magnus dux Lithwanie filius Wladislai Magni regis Polonie coronatus est in regem Polonie circa festum sancti Iohannis Baptiste. Et regnavit feliciter in Polonia 44 annis, qui Prussiam et magistrum generalem Prussie perpetuo

vinculo regno Polonie univit et subiecit, ut reges Polonie domini Russie sint et habeantur.

[f. 245v] Isto tempore anno Domini 1453 Iohannes de Capestrano vir religiosissimus et vite sancte, sancti Bernardini in predicacione imitator acerrimus venit Cracoviam, ubi sua predicacione multum in Dei populo monendo, castigando docendoque profecit. Venit autem Cracoviam in die Decollacionis sancti Iohannis Baptiste [29 VIII] et extunc bernardini in ligneis calceis incedentes in regno Polonie esse ceperunt.

[f. 249r] Hic erravit et defecit dicens Casimirum christianissimum regem esse hereticum. Quatuor. Wladislaus rex Hungarie et Bohemie fuit nepos Sigismundi imperatoris. Omnia hic male et false posuit et nihil in veritate hic scripsit de Casimiro Polonie rege christianissimo et de Wladislao Hvgarie et Bohemie rege.